



1709.

1. Baius, Fr. David: De phaenomenis eorumque studiis et inventis.
2. Brucknerus, Guot. Hieronymus, Collegii juris Vi. Decanus: De gemina et adaequata ratione prohibitio^{rum} amjuzgiorum ¹⁸ ~~19~~ occasione l. 19 C. de impf. Pro-gramma, lectioni cursoriae Guotfriedi Leonhardi Baudisii praemissum.
3. Brucknerus, Guot. Hieronymus, Collegii juris Vi. Decanus: Programma: De Justinian Imper. recte usmpaverit titulos Germanici et Alamanici, ubi simul nova derivatio vocis Germanorum proponitur et deducitur, lectioni inang. Friderici Heurici Graffii praemissum.
4. Crausius, Rudolphus Guotbelmus, Fr. ~~ar~~is. Decanus: Prosempthicon inang: De necessariis ~~in~~ ⁱⁿ ~~pr~~actici^{is} requisitis (ad Disputationem inang. Bernhardi Lubianus Lembeken invitaf)

1709.

5. Crausius, Pi. Jo. Joffen Guilielmus: Prae. med. Decanus: 17
Præsumptio inang: de curiositate in medicina 14.
Laudanda (ad Disputationem inang. Johannis Christi 15.)
phori (proegeli innotat).
6. Fieser, Johannes Bernhardus: de pactis inter liberos
et parentes timidos compositis. 16
7. Fieser, Johannes Bernhardus: de negotiis scripturam requi-
rentibus. 17
8. Heumannus, Christophorus Augustus: Quam cuique sine
de domini origine 18
9. Fuch, Guilielmus: de modis probandi: innocentiam
apud veteres
10. Schrockerus, Jo. Christianus: de litis contestatione affir-
mativa. 19
11. Schrockerus, Jo. Christianus: de principum rescriptis 20
- 12^a et Schrockerus, Joh. Christianus: de nominis proprii
expressione. 2 Sampl. 1709 et 1786.

1709.

13. Neugubius, Fr. Sebastianus: De magnesia alba . . .

14. Neugubius, Fr. Philippus: De vicesima hereditaria . . .

15. Krue, Bened. Gual: Praepemptio, qua . . . Frederico
Hiltromerus . . . ad honores in jure summus grato.
latus et de diversis jure publico periodis agit.

16^{a. et} Wildvogelius, Christianus: De legibus convivorum . . .

2 Sept. 1709 i 1738

17. Wildvogelius, Christianus: De Ducato Francoviae.

18. Wildvogelius, Christianus, Collegii Juridici prodecanus:
De emore legum atque provinciarum . . . Programme
incur: (lecturae auspiciis Casparis Schabii Becchi
praemissum).

19. Wildvogelius, Christianus: De persecutione delin-
quentium . . .

20. Wildvogelius, Christianus, Collegii Juridici Decanus:
De Statuta emoris ad l. 3 pr. ad l. Falci. Per-
gramma (lecturae auspiciis Andree Linnis Bieblingii
praemissum).

1709.

21. Wildvogelius, Christianus: De secreto patrisuorii ad p. 2.
C. d. alim. pupil. praest. Programma (lectioni
auspiciali Frederici Antonii Finckii praemissum)
- 22^a Wildvogelius, Christianus: De juramento aetatis
puberum confirmante. 2. Exempl
- 23^a Wildvogelius, Christianus: De superioritate territoriali
civitatum Imperialis. 2. Exempl. 1709 & 1735.
24. Wildvogelius, Christianus, Collegii juris Decanus:
De reverentia Studiorum ad C. S. C. d. advocat. ducem
judicior. Programma (lectioni auspiciali Frederici
Heilbronneri praemissum).
25. Wildvogelius, Christianus: De fundo scultetio. 2. Exempl. 1709
& 1736.
26. Wildvogelius, Christianus: De termino circumspecto.
27. Wildvogelius, Christianus: De secta temporum ad S. fin.
T. d. legit. Programma in uny: (lectioni auspiciali Johannis
Frederici Johannstadii praemissum)
28. Wildvogelius, Christianus, Coll. jur. Decanus: De severitate
seculi praestitit. - - Programma (lectioni ausp. Joach. Ernesti Walltheri praemissum)

69.
3
COLLEGII JURIDICI DECANNIS,
GUIL. HIERONYMUS
BRUCKNERUS, 1709, 3

ICTUS,
CONSILIARIUS SAXONICUS, PANDECTARUM PROF. PUBL.
CURIÆ PROVINCIALIS, FACULTATIS JURIDICÆ
ET SCABINATUS ASSESSOR, 3

AD
LECTIONEM INAUGURALEM

A
NOBILISSIMO JURIIUM CANDIDATO
FRIDERICO HENRICO GRAFFIO,
LIPSIENSI, 12/

D. XX. Nov. DCC. IX.

IN AUDITORIO IVRIDICO HABENDAM
OPTIMOS OMNIUM ORDINUM AUDITO-
RES DECENTER INVITAT,

& *Occasione L. X. C. qui testam. fac. poss.*
QUÆ IN LECTIONE ILLA EXPLICABITUR,
TRACTAT QUÆSTIONEM:

AN IUSTINIAN. IMPER.
RECTE USURPAVERIT TITULOS
GERMANICI ET ALLEMANNICI,
UBI SIMUL NOVA DERIVATIO
VOCIS GERMANORUM
PROPONITUR ET DEDUCITUR.

J E N Æ, Literis JOH. ADOLP. MULLERI.



Lubuit Nobilissimo Candidato
 nostro, pro themate Lectionis
 Inauguralis explicare *l. 10. C. qui
 testam. fac. post.* qua lata est ab
 Imp. Justiniano sub Consulatu
 Lampadii & Orestis A. C. 531.
 quibus ipsis Consulibus A. C.
 530. promulgata est Sanctio e-
 jusdem Imper. de Conceptio-
 ne Digestorum, ad Tribonianum Quæstorem directa,
 & hunc præferens titulum : *Imperator Caesar Flavius
 JUSTINIANVS Pius Felix Inclytus Victor ac Triumpha-
 tor semper Augustus.* Eodem titulo prodiit A. C. 529.
 Constitutio de Codice confirmando, ad Mennam Præ-
 fectum Prætorio scripta. Sed majores phaleras &
 splendidius quoddam titulorum syrma ostendunt tres
 Constitutiones, uno anno 533. (ipso Imperatore ter-
 tium Consule) de Confirmatione Institutionum, Di-
 gestorum, & Codicis emissa, & ita inscriptæ : *Im-
 perator Caesar Flavius JUSTINIANVS Allemannicus Go-
 zibicus Francicus Germanicus Anticus Alanicus Vandali-
 cus Africanus Pius Felix Inclytus Victor & Triumphator
 semper Augustus.* Non jam sollicitus ero de titulis na-
 tionum : *Francico, Antico, Alanico, Vandalico, Afri-
 cano,*

cano, saltem duos propius ad nos ipectantes: *Alleman-
nicum & Germanicum* considerabo. Licet enim
sub Francico Justiniani temporibus aliquando venerit
Germanicus & Allemannicus, dum Francia in Orien-
talem & Occidentalem fuit distincta, & Orientalis sæ-
pe notavit Germaniam nostram, forte tamen Occi-
dentalem solum sub nomine Francici respexit Justini-
anus. Non etiam operosius inquiremus, an Alle-
manni diversi tunc fuerint a Germanis, cum aliqui
sub his omnes Germaniæ hodiernæ populos, sub illis
autem vicinos tantum Italiæ in Germania comprehen-
derint. Sufficiat nobis impræsentiarum, utroque vo-
cabulo indigitari veros Germanos. Unde quæstio na-
scitur: an recte Justinianus Imp. titulis Allemannici
& Germanici fuerit usus? Meretur illa vel ideo cu-
ratus expendi, ne quis incidat in tam crassum erro-
rem, quasi Justinianus Germaniam nostram subegerit, &
ab isto ad nostra usque tempora Imperium Romanum
audiat Romano Germanicum. Huic errori proxime
accedunt quidam magni nominis Jcti, existimantes,
quod Jus Romanum Justinianeum Germanos ideo de-
vinciat, quia conditum est ab Imp. Romano Justinia-
no, & nos Germani adhuc paremus Imperatori Ro-
mano; unde a statu publico Reip. Romanæ pristino
ad præsentem recte fieri argumentum putant, quam
opinionem præ aliis explosit, & nervose refutavit præ-
stantissimus *Conringius* in scripto, de *Jure publico Ju-
stiniano ejusque autoritate in Germania* edito, & tra-
ctatu ejus de *Origine Juris Germanici* (editionis tertiæ)
subnexo. Jactat quidem Imp. Justinianus in *l. 2. Spen-
C. de vet. jur. enucl. quod post Europam & Asiam tota*

Libya Imperio suo sic adjuncta, quare conjiciet forsitan aliquis, sub Europa illum intellexisse inter alias regiones Germaniam, si non totam saltem pro parte, praesertim cum in *l. 7. §. 2. D. de censib.* dicatur: *In Germania inferiore Agrippinenses juris Italici sunt*, scilicet ut eodem modo quoad censum tractentur, ac cives Romani in solo Italico, & *l. 3. D. de Offic. Assess.* Germania videatur referri ad Provincias Romanas his verbis: *Si eadem provincia, postea divisa, sub duobus Praesidibus constituta est, velut Germania, Mysia &c.* apud Historicos tamen res est in propatulo, quod Justinianus nec copias suas victrices in Germaniam miserit, nec quicquam e solo Germanico vel latum unguem sub sceptris suis habuerit. Jure Belli Antecessores ejus aliquas Germaniae terras circa Rhenum occuparunt, sed & eodem jure amiserunt; hinc *l. 24. de captiv. & postlim.* Germani hostibus Imperii annumerantur: *ab hostibus autem captus (ut puta a Germanis & Partibus) & servus est hostium, & postliminio statum pristinum recuperat.* Hac cum ita se habeant, quo jure igitur Imperator Justinianus sibi tribuit titulos Allemannici & Germanici? An quia (1) Mundi est Dominus? Id quidem dicitur in *L. 9. ad Leg. Rhod. de jact.* & Constantius in basi obelisci Constantiniani apud *Gruterum p. 186.* Mundi vocatur Dominus his verbis:

At Dominus mundi Constantius, omnia fretus

Cedere virtuti,

Julianus etiam in alia inscriptione apud eundem p. 108. appellatur Dominus orbis terrarum; & Theodosius quidam apud *Ammianum lib. 29.* interrogatus ab Africae Rege, cujus loci esset, *Comes sum*, respondit, *Ma-*

leritae

*lentiniani orbis terrarum Domini. conf. Gabr. Triporis
 obfero. Apolog. c. 24.* Barbaris temporibus hoc pro-
 certio habebatur, unde contentio Bulgaro & Martini
 coram Friderico Imp. instituta: Quomodo Impera-
 tor fit Dominus mundi? Martinus omnium bonorum
 Dominium Cafari tribuit, Bulgarus tantum Imperium,
 ubi Imperator Martino prauit assensum, eumque e-
 quo donauit, enata est Bulgari haud inficera querela:
dixi equum, amisi equum, quod non est equum. Hanc
 historiam *Bodin. Meth. Hist. c. 6.* de Henrico VII. refert,
 coram quo Lotharius & Azo ita disceptauerint, sed re-
 ctius eam competere Friderico, *Conringius de Orig.
 Jur. Germ. cap. 23.* ostendit. Enimvero quid Viri e-
 munitionis naris de hoc titulo: quod Imperator fit
 mundi Dominus, sentiant, satis inter eruditos con-
 stat, e quibus saltim audiamus *Grotium de J. B. & P.
 lib. 2. c. 22, §. 13.* *Vix adderem, stultum esse titulum, quem
 quidam tribuunt Imperatori Romano, quasi ipse etiam in
 remotissimos & incognitos haecenus populos jus imperan-
 di habeat, nisi Jurisconsultorum diu Princeps habitus Bar-
 zolus, haeticum ausus esset pronuntiare, qui id negat &c.*
 Caterum, si Justinianus titulis illis respexisset Orbis
 Dominium & Imperium, non apparet, quare
 non etiam se Hispanicum, Britannicum, Longobardi-
 cum, Illyricum, Persicum, Parthicum, Scythicum,
 Indicum &c. imo compendiosius & magnificentius
 totius Mundi Dominum se appellasset, (2) Gothi &
 Vandali, de quibus victis gloriatur, & propterea se
 Gothicum & Vandalicum celebrat, Justinianus habuit,
 pro nationibus Germanicis? Nec haec ratio mihi arri-
 det, quoniam Gothi & Vandali a Germanis semper
 fut-

fuerunt distincti , & Romani Gothorum & Vandalorum
 regiones probe noverunt, ceu patet e Procopii
 Historia de Bello Gothico , quam iste Justiniani tem-
 poribus conscripsit, (3) Græci , ad mentiendi usque
 libidinem in elogiis largi & profusi , per adulationem
 solum hos titulos Imperatori assignarunt ? Non pu-
 tarem, cum haud dubie finxissent plures , si sola as-
 sentatio causa fuisset , (4) spem certam concepit de
 subigendis Germanis , & sic anticipavit honores Justi-
 nianus ? Non credo , tam simplicem eum fuisse , ut
 ante victoriam triumphum ageret , probe quippe gna-
 rus , quam lubrica , mobilis , fluxa & instabilis res sit
 belli fortuna , & non monitus ipse facile cognoscebat,
 quod toti orbi se deridendum propinaret, si vanæ glo-
 riationi eventus non responderet , (5) Antecessores
 quidam Imperatores his titulis sunt usi ? In hanc sen-
 tentiam inclinat *Trivorius* in citata Apologetica ob-
 servatione cap. 25. ubi recenset multos Imperatores ,
 qui Germanici , pariter qui Allemannici , qui Gothici
 & qui Francici titulos sumserunt. Modestior fuisse
 videtur Justinianus , quam ut alienam gloriam sibi ar-
 rogaret , & instar illius graculi in fabula incederet a-
 lienis plumis ornatus. Quis enim eum tam impru-
 dentem existimaret , ut , dum alii Imperatores ante
 ipsum in præliis fugarunt Germanos , (quamvis *Ta-
 citus* in lib. de *German.* cap. 37. ingeniose satis memoret,
 a Romanis magis triumphatos , quam victos fuisse Ger-
 manos) & victores cognominati sunt Germanici , ad
 horum exemplum etiam ipse sic appellari voluerit, si
 tamen nec Germanos unquam in fugam coniecit, nec
 ex ipsorum regionibus ullam possedit ? (6) circa
 prin-

principium Imperii, quo Constitutiones superius alle-
 gatas de Jure a se condito promulgavit, nondum qui-
 dem tot populorum victor extitit, postea vero circa
 progressum & finem, ubi plures victorias reportavit,
 Juris Corpori additi & inserti sunt tituli, velut ab in-
 itio statim nati? Nec hoc veritati consentaneum est.
 Nam, ut supra vidimus, annis Imperii primis titulos
 a gentibus sumtos, non adhibuit, quos deinde tem-
 pore promulgati Juris sui palam usurpavit, statim in
 proœmio Institutionum professus: *Et bellicos quid: m-
 sudores nostros Barbarica gentes, sub juga nostra reda-
 ctæ, cognoscunt: Et tam AFRICA, QUAM ALIÆ IN-
 NVMERÆ PROVINCIÆ, post tanta temporum spatia,
 nostris victoriis a cœlesti Numine prestitis, iterum ditio-
 ni Romanæ, nostroque additæ Imperio protestantur.* (7)
 Atsemanni & Germani saltem lacesciti norantur? Ab-
 surdum nimis foret, a gentibus solum irritatis glori-
 olam quærere, quod a Magno Imperatoris nostri ani-
 mo alienum censemus. Quorsum igitur nos verta-
 mus, ut e difficultatibus illis eluctemur? Equidem,
 Interpretes juris nostri nescientes quid solidi proferant,
 sicco pede transeunt titulos nostros, aut nihil addu-
 cunt pro defendendo Imperatore, quod ad rem præ-
 sentem faciat. Nos autem non desperamus de solu-
 tione nodi hujus. Scilicet Germani horridis suis sedi-
 bus, quales tunc erant, aut sponte sua egressi, aut ab
 aliis invitati sæpe intrarunt Italiam, velut hortum,
 quandam amoenissimum, unde Mediolano nomen in-
 diderunt (Weiland) quasi dicerent meam terram
 aut regionem, incultum patriæ solum cum jucundissi-
 mo hoc paradiso lubenter permutaturi. Cum igitur
 Gothi,

Gothi, qui occupaverant & hæcenus infederant Itali-
am, bello premerentur a Justiniano, proximos Ger-
manos manu fortes in auxilium vocarunt, utrique au-
tem a Casareanis victi, non in Germania sed Italia,
cognomen dederunt Imperatori. Sic *Agathias lib. 1. & 2.*
de bell. Goth. refert, Francos & Allemannos a Narsete (Ju-
stiniani fortissimo Duce) fusos fugatosque; & *Paulus Di-*
aconus lib. 1. de gestis Longobardorum refert, quod Justi-
nianus confecto in Italia bello titulos accoperit Alle-
mannici, Gothici, Francici, Germanici. Id speci-
minis loco esse potest, quod non statim Justiniano aut
Triboniano insultare debeamus, si comoda inter-
pretatio aliquandiu deficit. Caterum occasione vocis,
GERMANICI, curiosam addemus observationem. Fer-
me in hunc usque diem latuit vera derivatio vocabuli
Germanorum. Nam *Matthias Berneggerus* (quod non
alium deprehendi diligentiorum in origine indaganda
hujus vocis) in *Miscellaneis ad Taciti Germaniam Quæst.*
7. proponit undecim opiniones, quæ sunt, quod descea-
dat (1.) ab Hebræis vocabulis *gerimani*, quæ inopes ad-
venas significant (2.) a *Thogarma*, natu minimo filio
Gomeri (3.) a Carmanis Asiæ populis (4.) a *gigno* &
immania, vel a *generans immania* (5.) a *germinando* (6.)
a *Gerra*, vel *guerre*, quod Italis Gallisque bellum est
(7.) a *germano*, quod geminum appellant (8.) a *ger-*
manis, quia sunt quasi germani fratres (9.) a cogendo
milite, quod *Geven* tantundem sit Germanis (10.) a
Ger, & *man*, quasi totius vir, (11.) ab *Heermann*, quod
Germanus sit quasi *Heermann* / vir militaris. Has om-
nes & singulas derivationes pluribus exponit, sed
quasi parum illis fidens ait : *In hac tanta sententiar-*

rurum

rum diversitate eligat quisque, cui dicat: Tu mihi sola
 places. Nobis non sola quidem aliqua, sed postrema due
 sic placent, ut ambiguis in utramque obtutibus, utra utrū
 preferenda sit, hæsitemus. Non patitur tempus, ut singulas
 expendendo discutiamus, saltim duas postremas, Berneg-
 gero probabiliores visas, & sextam, Phil. Cluverio antiqui-
 tarum Germanicarum promo condo valde approbatam,
 dispiciemus. Quod vocab. Germanus a Ger & man de-
 scendat, sic probat laudatus autor: Ger veteribus Germa-
 nus erat, quod jam est gar/ i. e. prorsus, omnino. Unde
 propria nostratia: Gerhard/ prorsus durus: Gertrud/
 omnino fidelis, Gerbald/ totus celer. Itaque Germanus
 fuerit dictus quasi Garmann/ ἰδὸς ἀνδρός & prorsus vir. Huic
 conjectura probabilitatem addit Alemannia nomen, Ger-
 mania quidem vocabulo recentius, attamen significatione
 cum eo conveniens. Nam & Allman omnino virum si-
 gnificat. Quomodo etiam Gerbrecht & Albrecht pro eo-
 dem sumta plane celebrem significans. Ad hæc Resp. po-
 namus, veteribus Germanis ger idem fuisse quod gar/
 ex genio tamen linguæ nostræ non efferimus cum solo
 substantivo Mann (dum dicimus quidem gar männlich/
 sehr männlich/ non autem gar Mann/ sehr Mann) bene
 autem cum adjectivis in exemplis a Berneggero allatis:
 Gerhard (quasi gar hart/ vel sehr hart) Gertrud (quasi
 gar trud/ vel gar treu/ sehr treu;) vel cum adverbio
 Bald/ ut nomen faciamus Gerbald/ (der gar bald oder
 sehr bald seine Sachen verrichtet.) Nec vocabulum Al-
 mann omnino virum significat, ut vult Berneggerus;
 potius omnem virum vel omnes viros notat; & fuit
 id præcul dubio apud Germanos vel tempore belli

B

sym-

symbolum, ad excitandum omnes viros, ut fumerent
 arma; (nam viritim & cuncti, nullis nisi senibus, pue-
 nis & invalidis exceptis, pro libertate & patria pugnare
 debebant, ut ex antiquis autoribus constat) vel nota
 exercitus & totius multitudinis; quare rectius scribitur:
 Allemanni & Allemannia, quam Almani & Almania.
 Unde Gerbrecht descendat, videant alii; Albrecht dicitur,
 vel qui in omnibus se recte gerit, vel pro dimidio jus
 habet in re, Halbrecht. Speciosior est derivatio, quasi
 Germanus dicatur Heermann / vir militaris. Sed quia Ro-
 mani accurate poterant H a G discernere, & ne semel
 quidem pro Germania & Germanis scripserunt Her-
 mania & Hermani, certissimum est, quod ipsi Ger-
 mani (a quibus venit id nomen) nunquam se vocave-
 rint Heermannos, sed potius Germanos, & conjectu-
 ra derivationis istius nullo nitatur fundamento. Quod
 autem Germani non appellentur a Gerra vel guerre, ut
 arbitratur Phil. Cluverius, l. 2. c. 20. inde constat, quoniam,
 sicuti gerra aut guerre nunquam fuit Germanicum,
 ita, Man / nunquam fuit Gallicum vocabulum; e dua-
 bus autem vocibus diversarum linguarum id compo-
 situm esse, nemo sibi facile persuadebit. Ut meam
 proferam opinionem, existimo, Germanos primum-
 dictos fuisse a Gera, haud contemnendo Thuringia
 flumine (die Germänner / vel, ut antiqui etiam in plu-
 rali loquebantur, die German / viros Geram accolentes)
 quod Metropolim ejus Erfurtum transit, & in flu-
 vium Unstrut, hic autem in Salam illabitur. Ad pro-
 bandam illam sententiam sequentes faciunt rationes:
 (1) Tacitus, Germanicarum antiquitatum peritissimus,
 & qui

& qui primus omnium speciatim de Germania scripsit, circa initium libri de Germania cap. 2. refert, quod Germanorum nomen fuerit primum nationis certæ, non totius gentis, quando ait: *Cæterum Germania vocabulum recens & nuper additum: quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani vocati sint; ita nationis nomen, non gentis, evalluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox a seipsis invento nomine Germani vocarentur,* (2.) cujus nationis in Germania fuerit id nomen, ex antiquis autoribus non liquet, igitur conjectura opus est; illa vero natio, a qua primum venit id nomen, non fuit in finibus Germaniæ sita; nam incolæ tales vocati sunt Marcomanni, qui habitarunt in finibus, auf der Mark / & quorum mentionem facit etiam Tacitus d. l. cap. 42. respicitur itaque natio interior, (3.) probabiliter est nostra Thuringica, sic appellata a Gera flumine; hæc derivatio nihil contortum habet, nulla laborat difficultate, non est peregrina, nec mixta, sed tota vernacula. Si enim incolæ certæ alicujus Germaniæ regionis meruerunt dici *die German / vel Germänner /* non video, quinam alii potiore jure id sibi vindicent, quam Thuringi, circa Geram fluvium agentes; & (4.) si certa natio diffudit nomen suum in totam gentem Germanicam, quænam aptius & commodius id efficere potuit, quam Thuringica, in centro & medullio Germaniæ collocata, & ubi reliquæ nationes omnes, quando de summa Reip. erat deliberandum (vid. Tacit. d. l. c. 11.) convenire potuerunt? (5.) Confederunt procul dubio plurimi circa Geram fluvium, ubi campi reperiuntur

spatiosissimi & fertilissimi, ita ut regio illa fuerit populosissima. Nam Tacitus d. l. §. 5. refert, solas & gratissimas opes Germanorum haberi in armentis, quibus pascendis optime inserviunt prata circa Geram jucundissima. Et quoniam ibi mite cœlum & fertile solum est, proveniunt fructus, omnibus aliis in Thuringia facile præferendi, qui hodie in circumjacentes terras magna copia transferuntur, & olim Germanos, passim vagantes & errantes, eo invitarunt. Extracta propterea est successu temporis circa Geram civitas Erffordia, nulli alii in Germania magnitudine cedens, (6.) Dicit Tacitus d. l. c. 2. quoniam, qui primum Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani vocati sint. Quinam illi Tungri fuerint, qui cis Rhenum (juxta nostrum Thuringiæ situm loquendo) habitarent, & postea hunc fluvium transgressi Gallos expulerint, nullus hactenus explicare potuit. Multum laborat Phil. Cluver. de Germ. Antiqu. lib. 2. cap. 20. ut inveniatur Tungros quosdam trans Rhenum; sed de Tungris cis Rhenum nec ipse nec alii, veteres secuti, certi quid tradere ausi fuerunt, cum tamen adeo celebres fuisse dicantur, ut iidem censerentur cum Germanis, utpote nunc Tungri nunc Germani vocati. Circa finem tamen capituli illius monet, in Procopii quodam a se citato loco pro Thuringis legendum esse Tungris. Sed jam parum curamus locum Procopii, hoc tamen statuimus, per Tungros in Taciti loco recte intelligi Thuringos, dum elisis & paulatim transpositis literis (qualis elisio & mutatio literarum in multis vocibus etiam hodie apud Thuringos est frequen-

quentissima) Tungri pro Thuringis pronuntiarentur, Thuringiam nostram natura ita dotavit, ut ferme tota versus occidentem, septentrionem & meridiem valletur sylvis, quæ antiquis temporibus longe horridiores fuere; sed versus orientem circa terras Marchionatus Misniae & Ducatus Magdeburgensis non sic nemoribus infestatur; quare olim populi ex oriente venientes facile intrarunt Thuringiam, sed per sylvas obstructas impediti sunt, (velut irruentes aquarum undæ per aggeres,) quo minus libere ultra progredierentur. Sicuti autem collectæ undæ tandem perumpunt aggeres, & magna inundatione vastant agros subjectos, ita congregati in Thuringia exteri populi, quando exitum & viam tandem per sylvas invenerunt, in alias irruerunt terras, & transgressi Rhenum regiones quasdam Gallicas occuparunt, veteribus colonis migrare jusis; nec mirum, si vocem Thuringorum etiam exteri populi, Thuringis admixti, corrumpent, & se nunc Tungros, nunc Germanos vocarent. Fusus hæc persequer, si festinatio Nobilissimi Candidati & aliæ occupationes mihi non obstarent. Ex his intelligimus, quomodo explicandus sit locus Taciti supra citatus, quem velut ænigma exceperunt summi Viri, & Oedipus quodam opus esse crediderunt. *Phil. Cluver. l. c. sic judicat: Apud Tacitum sane locus est hac de re in libro de Germania verbis adeo perplexis ac duris intellectu, quique multa perdocta & præclara ingenia tam varie misereque hæctenus torsit, ut propemodum verum vaticinium cecinisse visus sit Justus Lipsius: Fluctuare hic interpretes, & fluctuatueros æternum.* Quam misere hunc locum discerpat Cluverius, tot inanes correctiones

suscipiendō, (& formulam hanc præmittendo: *Nescia
 sane, quo fato hic maxime omnium totius libri de Ger-
 mania locus tam fæde tamque varie vitiatu sit*) ipse Le-
 ctor inspicere haud gravetur; sed veritatis face prælu-
 cente tentabo illum, sine vi & vocum mutatione, illustra-
 re: *Ceterum Germania vocabulum recens, & nuper additum;*
 (Germani enim habuerunt vetustius nomen, dictum
Teutschland/ quod, quia Romani non potuerunt expri-
 mere in sua lingua, omiserunt, ut postea monebimus;
 ratione illius vocabulum Germaniæ est recens, & nuper
 additum priori, sed cur nuper?) *quoniam* (affirmant non-
 nulli, quod,) *qui primi* (e Germanis) *Rhenum trans-*
gressi Gallos (prope Rhenum habitantes) *expulerint, nunc*
Tungri (id est Thuringi, nam & hi per compendium Tun-
 gri a quibusdam appellantur) *nunc Germani* (Germani
 viri hætenus circa Geram in Thuringia congregati;
 nam hi per sylvas asperas invento tandem exitu ad
 Rhenum usque penetrarunt, imo Rhenum transgressi
 Gallos expulerunt & terminos Germaniæ ultra Rhenum
 per aliquot regiones extenderunt) *vocati sint. Ita* (affir-
 mant nonnulli,) *nationis* (tantum certæ alicujus, scil.
 Thuringicæ) *nomen, non gentis* (totius Teutonicæ) *eva-*
luisse paulatim (successu temporis non certæ tantum-
 nationi illi Thuringicæ adhæsisse, sed commune factum
 esse toti populo Germanico,) *ut* (igitur) *omnes* (in Ger-
 mania habitantes) *primùm* (primam appellationem ac-
 ciperent) *a victore* (Tuitfone, de quo brevi ante dixit
 Tacitus, quod Germani eum velut Deum coluerint terra
 editum, & conditorem gentis; usitatum enim gentibus,
 Reges & Imperantes in Deorum numerum referre; ab
 hoc victore Tuitfone Germani vocati sunt. *Tuitschen/*
 quod

quod vocabulum Romani in sua lingua efferre non poterunt, hinc maluerunt omittere, & postquam natum est alterum, ut dicerentur *Germani* / vel *Germani* / hoc a vide arripuerunt, & Teutonicos semper appellarunt Germanos, donec & tertium oriretur *Alleman*, quod etiam aliquando pro Germanis usurparunt) *obmetum* (quem victor ille victis incussit, & se adeo formidandum exhibuit, ut vivus & post fata pro Deo coleretur, quia Germanos velut oves haecenus errantes in ordinem redegit, & tanquam Pastor illis praesuit, unde etiam eum pro conditore gentis & Reip. suae agnoscunt,) *max a seipsis invento nomine* (sicuti nomen *Tuitsch* a Tuitone victore venit, quod omnibus Germanis victis & in potestatem suam redactis victor imposuit, ita Teutonici illi a seipsis invenerunt nomen, ut) *Germani vocarentur* (illi, qui circa Geram congregati ad Rhenum usque penetrarunt, & hunc transgressi Gallos expulerunt circa flumen illud habitantes, & quoniam seipfos vocarunt Germani, a Gallis etiam interiora suae regionis incolentibus appellati sunt Germani, & sic nomen hoc, quod primum saltem erat certae nationis, scilicet Thuringicae, evaluit in nomen totius gentis, & factum est toti populo Teutonico commune.) Hae in Thuringiae ejusque primariae ad Geram sitae Urbis Erfordiae patriae meae honorem addere volui. Nunc etiam quadam de Nobilissimo nostro Candidato.

FRIDERICO HENRICO GRAFFIO

veniunt dicenda. Haud immerito gratulatur sibi de patria celeberrima, urbe Lipsiensi, quae non minus ob studia bonarum literarum quam florem Mercaturae principarum ferme tenet in Germania. In illa natus est A. MDCLXXXVIII. d. 30. Januarii.

nuarii. Colit genitorem post fata, Virum antiquæ fidei & pietatis IOHANNEM GRAFFIVM, mercaturæ addictum, Matrem Fœminam sui sexus dotibus ornatissimam REGINAM WIDEMANNIAM, mutuum in terris solatium. Præditus indole literarum bonarum capaci accepit varios præceptores, potissimum vero profecit sub M. JOHANNE HENRICO LOEDERO, Facultatis Philosophicæ, quæ Lipsiæ viget, Assessore præstantissimo. Maturus sublimioribus studiis nomen dedit Albo Studiosorum A. MDCCV, d. 15. Septemb. Grata deprædicat mente insignia Doctorum Academicorum suorum merita, & ex ore Virorum celeberrimorum D. LVDERI MENCKENII, D. ITTIGHI, D. OLEARII Professorum excellentissimorum, pariter D. BARTHII & D. GRIBNERI, privatim tunc Jura docentis, nunc Professoris Wittebergenfis clarissimi, nec minus famigeratissimi FRANCKENSTEINI se pependisse per annos aliquot, pia veneratione recordatur. Quantum etiam debeat viro egregio GOTHOFREDO LEONHARDO BAVDISIO, cui hesternæ luce Collegium nostrum ob singularem eruditionem summos in Jure contulit Honores, nunquam memori gratoque animo excessurum profitetur. Quid ingenii vires disputando valerent, periculum fecit, quando disputationem sub præsidio laudati D. OLEARII in L. 151. de R. I. publice defendit. Sæpe honores in Academiis eum in finem conferuntur, ut sponte currentes magis incitentur, & ad majora perficienda assurgant. Postquam igitur Candidatus Noster nobis exposuit desiderium, quo ad Doctoram Juris adspirat, Examimibus consuetis in profectus Juris inquisivimus, quos tales invenimus, ut ipsum ad ulteriora specimina Inauguralia edenda censuerimus admittendum. Habebitur hodie Lectio Cursoria, cui ut Magnificus Pro Rector, Comites Illustrissimi, Patres Academiae venerandi, Hospites omnium ordinum honoratissimi cum Generosa & Nobilissima studiosorum Corona interesse velint, ea qua decet, observantia & humanitate rogo precorque. P. P. Ienæ d. XX. Nov. MDCCIV,

(L. S.)

ULB Halle

3

003 331 911



Sl.







COLLEGII JURIDICI DECANNUS,
**GUIL. HIERONYMUS
BRUCKNERUS**, 1709, 3
ICTUS,
CONSILIARIUS SAXONICUS, PANDECTARUM PROF. PUBL.
CURIE PROVINCIALIS, FACULTATIS JURIDICÆ
ET SCABINATUS ASSESSOR,

AD
LECTIONEM INAUGURALEM

A
NOBILISSIMO JURURUM CANDIDATO
FRIDERICO HENRICO GRAFFIO,
LIPSIENSI,
D. XX. Nov. DCC. IX.

IN AUDITORIO IVRIDICO HABENDAM
OPTIMOS OMNIUM ORDINUM AUDITO-
RES DECENTER INVITAT,
& *Occasione L. X. C. qui testam. fac. poss.*
QUÆ IN LECTIONE ILLA EXPLICABITUR,
TRACTAT QUESTIONEM:

**AN IUSTINIAN. IMPER.
RECTE USURPAVERIT TITULOS
GERMANICI ET ALLEMANNICI,
UBI SIMUL NOVA DERIVATIO
VOCIS GERMANORUM
PROPONITUR ET DEDUCITUR.**

7 E N Æ, Literis JOH. ADOLP. MULLERI.

